

GERMANI

A V D E B E R T I

AVREL.

ROMA.

AD ILLVSTRISS. AC REVE-
RENDISSIMVM CARDINALEM

ALEXAN. FARNESIVM

Cardinalium Primarium.



PARISIIS,

Apud Iacobum du Puys, sub Samaritana.

1585.

Dg

450

1852


Coll.
rom.

Dg 450-1852



de H/47

e 36322



GERMANI

A V D E B E R T I


AVREL.

ROMA.

AD ILLVSTRISS. AC REVE-
RENDISSIMVM CARDINALEM

ALEXAN. FARNESIVM

Cardinalium Primarium.



PARISIIS,

Apud Iacobum du Puys, sub Samaritana.

1585.

A V D E R B E R T I

A R R E T

R O M A

AD. L. L. S. T. R. O. S. A. C. R. E. V. E.

K. A. N. D. I. S. T. R. I. T. U. S. C. A. M. B. I. L. I. A. N. I. S.

M. E. M. O. R. I. A. L. I. A. M.

1793



1993.2946



AD ILLVSTRISS. AC REVEREN-
DISSIMVM CARDINALEM ALEXAN.
Farnesium Cardinalium primarium Germa. Au-
debertus Aurelius.

Purpurei decus eximium Venerande Senatus
FARNESI, antiquum genus alto a sanguine
summi

Pontificis Pauli: cui se non comparet alter
Religione, fide, meritis, & moribus æquis:

Tu nisi contendas: tu culmine honoris auiti
Digne nepos, virtute pari qui tendis ad astra,
Qui veterum prima de nobilitate Quiritum
Ex superare tuos, & te quoque niteris ipsum
Rebus auum referens non tantum nomine eodem.
Ausim ego tot titulis ornato offerre Quiriti,
Et Romam sacrare meam compagine chartæ
Constructam tenui, nigram, fœdâque cruore
Sapia quem fundens hostes eludit inanes?

En erit vt claræ obscuram succedere Romæ,
Atque inopem diti, scabrâque omni arte politæ
Sustineas: urbisque sinas fœdare nitorem
Romuleæ natam Gallo sub sidere Romam?
Quin intrare tuas etiam patiaris in ædes
Tanariis fultas, Pariis, Phrygiisque columnis:
Argento illusas puro, fuluoque metallo,

Conspiciásque alti pulcra testudine recti,
Quas ebore atque hebeno variant emblemata passim,
Et Polycleteo spirantia marmora celo?
Hic & Apelleis tabulis ornata reudent
Atria jam fama totum celebrata per orbem:
At domino magis illa suo decorata refulgent.

Túne profana sacris miscens, & sacra profanis,
Ceuliquidis spurcos immittas fontibus apros?
Fallor ego, aut laribus procul hanc prohibebis auitis,
Obscuret ne rara domus spectacula magna
Nocte sua: & sero doleat confusa rubore.
Non ita: námque tibi tanta est moderatio, tanta
Ingenij bonitas, tantúsque in pectore candor,
Vt dubitare tua pudeat de mente benignam
Oris honos placidi quam protinus arguit. Ergo
Qualiscúmque mea haec, erit ampli muneris instar
Roma tibi spectanti animum, non vilia dona.
Scilicet effretæ, & languentis dona senectæ.

IDEM AD EVNDEM.

AN donem illepidum nouum libellum,
Limatum minus, & minus politum,
Venustúmque minus, minúsque dignum,
FARNESI tibi? qui Nouem Sororum
Sacris à tenero dicatus vngue
Politissimus és politiorum,
Venustissimus & venustiorum,
Et dignissimus vnus Itolorum:
Donabo tamen, atque consecrabo
Qualiscúmque sit: vt tuo fauore
Plus vno maneat perennis æuo.



GERMANI

AVDEBERTI AVREL. ROMA.

AD ILLVSTRISS. AC REVE-
RENDISSIMVM CARDINALEM
ALEXAN. FARNESIVM Cardina-
lium Primarium.



*Dmiranda cano magna spectacula Romæ,
Sæcta Deum delubra, superba palatia Patrū,
Antiquas statuas, scalpro viuentia saxa,
Altas Pyramides, circos, capitolia, moles,
Sudanteis metas, arcus, teretiæque columnas,
Mausolea, sepulchra, theatra, trophæa, tri-*

Romanis opibus certantes Tyburis hortos (umphos,

Artifici cura decoratos mille figuris,

Marmore de Pario: & riuos longo ordine fontes,

Rarum opus Hippolyti sua cui Ferraria nomen

Indidit: Estensis generoso à stipite rami.

Vos quoque magnanimi Heroes decora inclyta Romæ.

Te verò in primis nostri pars magna laboris

FARNESI: primum cui nobilitatis honorem

A

*Farnesina domus tribuit, proauit aque gentis
 Stemmata Romanas inter fulgentia proles,
 O liceat cantare tuis Romamque, Patresque,
 Auspiciis, Musaeque in carmina suffice vires:
 Tu mihi Phœbus eris, doctæ tu Palladis instar,
 Adde animos: permitte tuo sub numine Natum
 Deducam ingentis tot per miracula Romæ,
 Atque illi tua celsa domus reclusa pateſcat.
 Da sacros spectare lares Pater optime, Romam
 Non vidit, quicumque tuas non viderit aedes.*

*Fili animæ pars magna meæ, meæ maxima cura,
 Maeste animo, qui nunc eadem vestigia lustras,
 Quæ mihi pressa prius primæuo in flore iuuentæ.
 Tu quoque transmisſis, patria procul vrbe relicta,
 Alpibus: in-vigilas Musis, & mens tua rapta est,
 Mellifluo magni seu pendet ab ore Sigoni
 Prasidis Aonidum, Phæbo cedente sororum:
 Quas sacros bifidi deduxit vertice montis,
 Et ferientis equi quem protulit unguis, fontem
 Transtulit: atque foro in medio reclusit opertum
 Urbis Felsinæ studiorum matris: in auras
 Marmore quem eduxit Laurentus, & ære Bologna.
 Artifices magni vel saxa animare valentes.
 Quid pro traducto reddetur fonte Sigoni
 Pieridum pater, & Latiae dux clare cateruæ,
 Quo Mutina vrbs meritò se iactat splendida nato,
 Et meritò iactet vel tota Oenotria tellus?
 Seu tibi Pompilius Grecis sermonibus aures*

Car. Sigonius.

Lauretus
Bologna.

Pompil.
Amazeus.

*Mulcet Amazeus, proles æquanda parenti.
 Seu te certa docet dubij mysteria iuris.
 Papius insignis, cui lactea copia fandi,
 Et lenis proprio granitas condita lepore,
 Luminibus præclara quibus modò Felsina lucet.*

Ioã. Ang.
Papius.

*Seu te pulcra tenet cani Florentia Cygni
 Dulcibus illecebris, & amæno carmine captum:
 Dum magus ille suam exercet Victorius artem,
 Qua ducit mentes, ferrum lapis ut trahit Arctos
 Prospiciens geminas, & pigri plaustra Bootæ.
 Ecquis dignus erit virtutum præco tuarum,
 Care senex, ecquis celo te laudibus æquet,
 Candorémque tuæ mentis, vocis que canorem,
 Quæ non mortalem sonat, aut præconis egentem?
 Non ego: námque tuis magnum petis æthera pennis
 Iam fama toto terrarum nobilis orbe.*

Petr. Vi-
ctorius.

*Alpinis nostras superatis montibus oras
 Incolit, & doctos multo deuincit amore,
 Officiis quæ piis, Thuscæ noua gloria gentis,
 Ingenij raras depromens pectore dotes
 Corbinellus amor Phæbique, nouémque sororum:
 Nostrâq. odoratis sophiæ quos legit in hortis
 Floribus intexens exornat lilia, & auro
 Inducit vegetum lauro viridante colorem.*

Iac. Cor-
binellus.

*Nunc forte Etrusca Fili, Regione relicta,
 Ausonias Tusci transuectus fluminis undas
 Facundum tacitus miraris in vrbe tonantem
 Ingenti eloquio Muretum, fulmine lingue*

M. Anto.
Muretus.

Torrenti similem secum obuia quæque trahenti.
 Quem sibi præ cunctis lectum clarissima ciuem,
 Ceu gemmam ante alias adsciuit Roma coruscam,
 Conspiciuümque tibi, mea Gallia, lumen ademit,
 Jure ut ei inuideas inuidit quem prior illa.
 Sed neque naturam peruincat adoptio, ficta
 Nec commenta hominum valeant imponere vero.
 Sic Muretus erit noster, nolit ve, velit ve,
 Noster erit, licet hunc sibi vendicet inclyta Roma.
 Esto, abiurata patriæ ferus ossa negarit:
 Quis scit an hæc etiam Galli post fata reposcent?

Fulvius
 Vrsinus.

Hic rara probitate grauem, placidisque Minervæ
 Excultum studiis, nec prisca stirpis egenum
 Fac tibi concilies Vrsinum, arcana vetustas
 Cui patet æternis penitus reclusa libellis.
 Nec cuiquam veterum plus se debere fatetur
 Posteritas: nec non diuini musa poetæ
 Smyrnæa Andino resonantis carmina plectro.
 Quantumuis fuluo latè resplendeat auro
 Farnesi alta domus, signis decorata vetustis,
 Regifico luxu: tamen hanc magis Fulvius ornat,
 Per totum chartis scintillans aureus orbem.

P. Angel.
 Bargeus.

Tu quoque fac cures ut sit tibi notus alumnus
 Palladis, Ausonios inter cui maxima vates
 Gloria debetur, nec Phæbo est gratior alter
 Angelius Musis longè carissimus, idem,
 Summa Phætrata Bargeus cura Diana,
 Venandi primos indagine cepit honore,

Et longè antiquos omneis post terga reliquit.
 Nunc Syrias canit ille acies, innictaque bello
 Pectora magnanimùm Celtarum, & fortia facta:
 Quæ lituo grauiore sonans diffundit in orbem,
 Illustresq; animas super aurca sidera tollit.
 Ille domus etiam Medicae splendor, bonosque,
 Insigni cumulat præclaros laude patronos:
 Quamquam sat propriis virtutibus insignitos.
 Alter enim Etrusca flectit dititionis habenas
 Dux ingens: alter de sanguine cretus eodem
 Tempora puniceo gestat redimita galero,
 Cana olim summa decorari digna tiara.

Hei mihi quòd medicum dederat cui salua nomen
 Mars urbem ipse suam, patriam natura Tiberinum:
 Castalidumque chorus, Pallásque, & Cynthius artis
 Quisque suas, pelagique arcana recluserat omnia
 Ille Deus (cuius dextra est armata tridente)
 Tam properata virum prohibent te fata videre,
 Qui meruit nullis unquam succumbere fatis.
 Vixit adhuc tamen æterno post fata labore,
 Ac vinet: donec pascentur in aquore pisces:
 Posthumus ipse sibi tanquam Titanius ales
 Qui reparat se se, vitamque à morte resumit,
 Ipse idem genitorque sibi, sibi natus, & hæres.
 Qui sacris sacras manibus moliris habenas
 Sancte Pater, vigili pasceus pecuaria cura,
 Nulli doctrina, nulli candore secundus:
 Ingeniosa palàm legum præscripta docebas,

Hippo:
 Saluianus

•RÆGO-
 R I V S I J.
 Pöt. Max.

Tota auditorum mecum admirante caterua:

Quum me discentem ciuilia iura teneret

Fertilis Hesperio vicina Bononia Rheno.

Quæ iam te, natôque suo, Dominoque superba

Conuexa excelsum caput vsque ad sidera profert.

Tum sub te didici nodosa enigmata iuris

Soluere: & à curuo simplex dignoscere rectum,

Ac dubias æquo pensare examine lites.

Nec me vanus honor, tenuis nec gloria tangit,

Quòd legum à tanto accepi præcepta magistro:

Juridica quamuis tecum certaret arena

Alciatus celebri vectus super æthera laude.

Contendisse ferunt quondam sic cum Ioue nato

Terrigenam Antæum: caelestem vincere sed fas.

Magna mihi concede tua miracula Romæ

Susplicere: & raras ad calum tollere tantæ

Vrbis opes, rerum Domine reserantis Olympum.

Nam sub te antiquos instaurant stirpis honores,

Aurea florentis renouantes secula Romæ.

In VATI-
CANO.

Pontifici vt tanges sacrata palatia summo

In Vaticanæ cultis Callopos hortis,

Nate, tuos oculos miro celamine pascet

Fratrum immortalis Rhodiorum nobile scalpro

Laocoontis opus: longo post tempore, clari

Laocoon. Quod diuina manus Sadoleti insigniit auro

Pegasidum, & candens per me si flumine inxit.

Cernimus (heu) tristem serpentum mille duorum

Implicitum spiris gemina cum prole parentem:

Qui magno implexos tendit conamine tortus
 Soluere: & à natis ravidam depellere pestem
 Nititur: instanti jam jam nec morte mouetur
 Immemor ipse sui, victus pietate paterna.
 O incredibilis pietas, & cura parentum!
 Saevitiam, rictusque feros, irasque draconum,
 Et velut annexis condensum flexibus agmen
 Caudarum, insertos sinuosis orbibus orbes
 Adspicimus, tactuque nono simulacra cieri.
 En rigidum lapidem viua sub imagine, vero
 Spirantem pulsu, & stringentem corda pauore.
 En toto apparent salientes corpore vena,
 Qua restui tumido iactantur sanguinis aestu.
 Respice vt immani distorqueat ora dolore,
 Frons obducta cauis vt aretur (respice) sulcis:
 Grandibus vt guttis fluidi sudoris inundet,
 Vt iam vicino declinent lumina leto.

Audimus gemitus alto de corde petitos,
 Et crebris voces singultibus interruptas,
 Audimus certè, vel certè audire putamus.
 Sentimus tacitos saxo pallente timores,
 Perculsique metu simili, impallescimus ipsi
 Exangues visu, exitium crudele dolentes.
 Nec licet hunc siccis oculis lustrare furorem.
 Sentimus rabiem, crudosque in vulnere dentes,
 Mutaque spectantium miseratio pectora pulsat.
 Alter quod misero patri truculentior anguis
 Ore venenifero launmlatus hauserit, ecce

*Letali moritur de vulnere marmor hiulcum.
Ille etiam suris nexu abstinentibus arcto
Implicat anfractus, & curua volumina versat.*

*Quis fletus spectans iuuenum super ora cadentes,
Vulneraque alterius, depastaque corpora morsu
Crudeli: & tetro liuentia membra cruore,
Temperet à lacrymis? mediis vox faucibus haret
Alterius suspensa: vide ut frustretur hiantem,
Et vix inceptos luctantem rumpere questus:
Corpora cui nec adhuc ullo sunt saucia ab ictu
Serpentum, nec adhuc laniatus sensit acerbos:
At tantum implicito pressus pedis infima gyro,
Territus, adducta sinuata sub ilia coxa,
Intortos certat manibus diuellere nodos:
Sed tamen incassum: vis fortior acrius vrget.
Corda quatit timor: & pietas coniuncta timori.
Perpetuo quæ sculpta vides in marmore, Fili,
Perpetuo melius Sadoletus carmine pinxit.*

Iac. Sado-
letus.

*Sic iubar ô Sadolete tuum, radiosque sequebar,
Ceurutilum nox atra diem, Solémque tenebrae,
Clarius ut nostra tua lux à nocte niteret.
O felix anima, & meliori fusa metallo!
Ecce trium cedunt vni tibi cæla fabrorum
Ingenio superata tuo diuine poëta,
Virgilij pangens non postponenda Camænis.*

Apollo.

*Haud procul hinc humeros alte pharetratus Apollo
Totus erat lapide è simili perfectus ad vnguem:
Verùm tempus edax, absumensque omnia sensim,*

Summas

Smmas iamque manus, neruumque arcumque, peredit.

*Hic Pharij prostrata jacet Regina Canopi,
De Paris excisa iugis, sculpta arte magistra
Quo fuerat vultu: tristi sed pallida fato:*

*Sed muta: elinguem fecit dolor improbus: at non
Abstulit & sensus, & mæsta insignia mentis.*

Læua manus flexum fulcit caput, altera velat:

Deficiens animis, leni moribunda veneno

Occultas alto premere iras corde videtur.

Augusta grauitate olim, formaque venusta

Pellexit rerum dominos, dominaeq; potenti

Addictos, magico solers incendit amore.

Magnis freta opibus, cæcòque impulsà furore,

Inuictas Augusti acies, Romanaque signa

Ausa est ancipiti fortis tentare duello,

Actiacam Ionio deducens æquore classem:

Principioq; ferox validos turbauit Amazon

Impauide inuadens rostratis nauibus hostes:

Et, nisi fugisset, poterat superare: sed illam

Attonitam intento perterruit Actius arcu

Phœbus: & extemplo verterunt terga sagittis

Vnà omnes Arabes, omnisq; Ægyptus, & Indi,

Bactriq;, ac dites cum toto Oriente Sabei,

Ambraciasq; retro trepidi liquere phalanges:

Regina in primis aduersa ubi Numina sensit,

Paruit ecce Dei iussis: & viribus impar

Ægypti extremis properans se condidit oris.

Mox amens, & amans, sese subducere pugna

Reginam vt vidit, remis Antonius instat,
 Et sequitur velis fugientem, & lapige fertur,
 Securus palmae, veterum securus honorum.
 Mæstus eos avidis Nilus complectitur vlnis
 Cæruleam pandens septena per ostia vestem.
 Illa graue horrescens odium victoris, & acres
 Tam victi furias, quam læsæ coniugis iram:
 Crebra gemit, sese incusans, hominèsq; Deosque:
 Se verò antè omnes causamque, caputque dolorum.
 Heu, quid agat rationis inops, tota obruta luctu,
 Externata malis? primò silet ægra, manètque
 Saxeæ vt effigies: dein tristibus excita curis,
 Bacchanti similis, fusos auulsa capillos
 Pectora contundit pugnis, secat vnguib; ora,
 Dilaniatque sinus sæuo miseranda vel hosti.
 Nec satis: extincti violenta cæde Mariti
 Corpus vt exanimum Regali condidit urna.

Acta furore nouo monumentum ingressa, supremas
 In tumultum incumbens effudit pectore voces
 Singultu medias interrumpente querelas.

Care Vir Antoni, dudum mea summa voluptas,
 Nunc dolor extremus: quid te moriente superstes
 Infelicem animam miserè traho? te sine viua
 Esse queam? ima precor jam jam mihi terra dehiscat,
 Vxorẽ hocce tuo tecum me conde sepulcro.

An jaceam Ausonia Cleopatra Ægyptia terra,
 Tu Pelusiaca Antoni Romane jacebis?

Osibus ossa tuis mea sic iungantur, vt ambos

Junxit Hymen, ut iunxit Amor male faustus utrique.

*Nos nihil abstraxit vinos, mors debita certe
Vna duobus erat, vita ut fuit vna duobus.*

Felices, ferro si nos eadem hora tulisset:

*Si nos arsisset rogius idem: ut flamma ingalis
Arsit inextincto flagrantibus igne medullas.*

*O vti nam quæ ficta mihi est nex, vera fuisset!
Si prior extinxem crudelis lumina vitæ,
Perpetua indomitos sepelisset nocte dolores.*

*Per caput inuisum Superis, per fœdera lecti,
Pérque pios oro manes, & numina Auerni,
Si qua fides, si qua est pietas Acheronte sub imo:
Quandoquidem patrij nos deseruere Penates.*

*Mi vir, mi Domine Antoni, ne desere nuptam
Vnanimem, quæ te terræque, marique sequuta est:
Nèue in me duci de te permittite triumphum.*

*Supplicium nunc vita mihi: cur hic moror vltra?
Dedecori ut tibi sim? me me iuuat ire sub umbras,
Quando aliud nil jam superest, ego libera nuper
Regia iusta tibi solui: modo serua parento
Ultima dona ferens: nunc ô dulcissime conjux
Te sequar, & mea jam sub terras ibit imago.*

*Hæc effata, mori statuit: tamèn antè recentem
Flore coronauit dilecti coniugis urnam.*

*Tum quoque semianimis constructo affusa sepulcro,
Quæ vino haud potuit gelido dedit oscula saxo.
Et vitæ desiderio, quod finxerat antè,
Consilium necis obnubens virtute peregit.*

Propositiq̄ue tenax victorem callida cepit
 Capta suum, & pompæ ductum spe lusit inani:
 Nuda soporifero nam brachia præbuit angui
 Fortiter: instanti nec quidquam exterrita letho,
 Delecto puncta morsu Aspidis expirauit.
 Ne triplici indigne iraberetur uina triumpho,
 Claraq̄ue seruiret nuribus captiua Latinis.

Regina illa ingens, Phariorum à sanguine Regum,
 Ingens, cui summos Oriens sacrauit honores:
 Ingens, cui tellus Egyptia paruit omnis
 Seruiat: & celebris spectetur fabula turbae:
 Cum Cæsar victor spoliis Orientis onustus,
 Celsa triumphali scandens Capitolia curru
 Augustus victos ostendet ciuibus hostes?

Non ita: namque animo facinus regale volutans
 Seruitium ut fugeret generosa virago, superba
 Libera facta nece est: & pulcro sine beata,
 Fame parca, anima nimium sed prodiga magna.
 Nunc etiam ægra suos cineres lauit imbre fluenti
 Ex oculis: vident' ut lacrymarum flumina fundat
 Assiduo undantes fletu testantia luctus?
 ,, Fletus inexhausti est lenimen dulce doloris.

Baltha:
 Castilio.

Tu prius exanimis: nunc ô Cleopatra reuixti
 Castilioneis aternum expressa tabellis.
 Quas ego dum cupio, vestigia præuia lustrans
 Ponè sequi: decus addo tibi, mihi dedecus ipse,
 Castilio: qui Castalio de fonte propinquum
 Cognomen nactus, natúsq; Bianoris urbe,

Afflatusque tuo scripsisti digna Marone,
 Vsq; adeo veris animas simulacra figuris:
 Sed me materies, sed me inuitauerat ordo,
 Et rerum series, properantem cuncta referre
 Suspicienda magis clara spectacula Romæ.

Stans simili è saxo formatus, nomine tantum
 Commodus, ecce tibi se profert, tergus, & armos
 Pelle Leonina velatus: cætera nudus:

At gestans clauam dextra, puerumque sinistra.

Pugio nempe illi gemmis vestitus & auro,

(Quin potius seta capiti suspensus amantis

Pugio: & ultrices pueri sub imagine Diræ)

Oblectamen erat, lususque, & summa voluptas:

Cuius ab indicio properata est cæde peremptus.

Hocine pro tanto Philocommode reddis amore?

„ Quam varias dilata vias tenet ultio Diuum!

„ Nec sicca immites permittit morte, Tyrannos

„ Oppetere: & dulces amittere luminis auras.

„ Quin etiam grauior, quo serior, ira Deorum est.

Quid referam Antinum tenero sub flore iuuentæ,

Conspicuum forma iuuenem, vultuque decoro,

Delicias Hadriane tuas hoc marmore viuum?

Cui templum erexi, & sacras, præ dedecus, aras:

Cælestique tuum Ganymedem in sede locasti.

Sic furit impietas! sic crimine sacra profanat!

Herculis Antæique vides certamen anhelum,

Athletamque Libyn procul è tellure parente

(Ne lapsas reparet vires, animamque resumat)

Commo-
 dus.

Antinus

Herculis
 & Antæi
 certamen.

Sublatum: Herculeis pressum expirare lacertis.

Venus lasciva.

Nonne Erycina Venus multo se pulchrior ipsa est?

Vna omneis rapuit Veneres, omnemque decorem.

Delicias videntur ut faciat lasciva procaces,

Quae puerum, dextra stantem, demulcet Amorem?

Olli subridens pœtis blanditur ocellis.

Nequitius capitur tantis, atque illic forma

Filius: atque ipsum sese intra concipit ipse,

Et propria proprium transfigit arundine pectus:

Flammea tam rari spectando lumina vultus

Vritur insano matris labefactus amore.

Venus modesta.

Altera nuda Venus septo servatur eodem,

Cuius dextra tegit partes demissa pudendas,

Leua manus tunicam protendens tollit in altum

Vt circumducto celet velamine corpus:

Hæc moderata fouet, fugat illa proterua pudorem.

Penelope hanc coluit, venerata est Tyndaris illam.

Puer piscans.

Nec te prætereat pueri piscantis imago

Perfectæ artis opus: sed fors invidit honori,

Artificis damnans aeterna nomina nocte.

Nilus, Arnus, & Tyberis. Fl.

Hic etiam proiecta jacent tria flumina, Nilus,

Arnusque, & Tyberis, juges voluentia lymphas,

Siccæque fecundis ditantia fluctibus arua.

Nili fl. descriptio.

Marmorea effigies humana ducta figura

Stagnantis Nili Sphingi subnixâ recumbit,

Bisque octo pueri supraque, infraque jacentes

Ad totidem cubitus fluij exurgentibus undis

Incrementa notant: menses sphinx, virgo, Leoque
 Caesaribus primis, patri, natoque sacratos
 Indicat: excrescit namque illis mensibus amnis,
 Et redit in sese: flumen sic nomina terrent
 Gentis Jülææ, memori notissima Nilo.

Hanc circum statuam Memphitica numina cerne.
 Isim vacca refert, Bos sacra Serapidis ora.
 Hic Crocodilus atrox, hic trux equus incola Nili,
 Hic varij crocodilo hostes, inimicæque turmas:
 Regulus, Ichneumon, Scincos, Delphinus, & Ibis:
 Quod tanta pesti non sit satis unicus hostis.
 Hic homines etiam deformi corpore turpes,
 Contractæque in se membrorum mole pusillos
 Adspicias: quibus est animi præsentia magni
 Horribilem contra crocodilum, voce prementes
 Attonitum, dorosque, equitum de more, sedentes:
 Ceruice ad morsus resupina, orique recluso
 Impositam clauam dextra, laeuæque tenentes
 Captiuum: veluti frenis ad littora torquent:
 Corporaque inuitum ructare recentia cogunt,
 Vt fæda ex aluo, tumulo meliore recondant.
 Gens vilis: sed nata malo, pectique domanda
 Thebanis vicina colit quæ Tentyra palmis:
 Olfactûque sui feralia monstra fugantur.
 Ore velut Psylli serpentum infusa venena
 Exsugunt, adiguntque suæ parere salinæ.
 Hic quoque Niliacæ fundunt Colocasias ripæ,
 Et fragiles circum calamos, viridémque papyrum.

Basis Flu-
 uij Nili.

Vaticana etiam tibi dant viridaria fusum

Oceanus. Oceanum, refluo iactatum semper ab aestu:
*Ceruleum, ut credas candenti in marmore marmor
 Feruere: & instabiles subsultim assurgere fluctus.*

Iudicium
 M. Angeli

*Hic, quæ pictorum vincant monumenta priorum,
 Etrusci occurrent pigmenta recentia Appellis
 Pontificis nitida decorantia luce sacellum.*

Obelif-
 cus

Iulij. Cæs.

*Marmore de vario, peperit quod terra Syenes
 Torrida solis equis, obeliscus ad æthera surgit,
 Cuius in aurato suprema cuspide ouo
 (Si modo Romulæ vera est sententia plebis)
 Sacra cineres Diui afferuantur Iuli.*

*Qui primus summas rerum moderatus habenas,
 Audax imperium inuasit, votoque potitus,
 Inuictis totum tremefecit viribus orbem,
 Et fama terras, magnūque replevit Olympum.
 „Iulius (heu) tantus quàm parua clauditur urna!*

Marmoreo in solio cum maiestate verenda

Roma
 trium-
 phans.

*Roma sedet victrix, armataque casside frontem
 Calata: cuius medio stant vertice crux
 Erecta, horribiles, dignaque parente Gradiuo.*

Dacia.

*Dextra gerit nitidam lauro viridante coronam:
 Leua breuem gladium mortem muerone minantem.
 Dacia victa subest, demissum nixa sinistra
 Substantante caput, mæret, captiuæque deslet
 Tot spolia, inque fugam verso tot ab hoste trophœa,
 Actos totque sibi victrici Marte triumphos.
 Nequidquam: vna dies partos quòd calcet honores.*

Parte

Parte ab utraque duos Parthorum respice Reges
 Captiuos: truncasque manus sub dentibus auis;
 Amborumque pedes antiquo more reuinctos!
 Disce hinc quid possit fortuna, quid alea belli.

Duo Reges captiui.

At parte ex alia Tarpeja ubi nobile saxum

IN CAPI
 TOLIO.

Virginis (armillas qua pro mercede Sabinas

Perfidia pepigit, Tatij & connubia Regis:

Obrutaque virgulti spinterum pondere, & armis,

Coniugij ardentes extinxit sanguine tadas)

Custodis qui celsa Iouis Capitolia viset,

Auratam in platea statuam spectabit equestrem,

Qua decreta tibi est Aureli Marce, tuaque

Debita virtuti, meritisque ingentibus empta.

Eximie o Princeps, quis enim se comparet alter?

Hanc tuus ante alios sequitur praeclarior omnes,

Temporibus priscis quicumque fuere, triumphos:

Quem tibi Marte fero Daci peperere subacti.

M. Aurelij
 statua
 equestris.

Eiusdem
 triumphus.

Mox penetrare domus intranti occurrit imago

Quam Decimo statuit gratissima Roma Leoni,

Artificis magni ingenio, curaque politam,

Marmore de niueo: viuum, qui viderit illam,

Esse putet: sic ille oculos, sic ora ferebat.

Incertum faceret superas reuocatus ad auras

Esset vter verè verus Leo, marmor an ipse.

Sed quid opus, quando egregia sat viuit ab arte?

Nec procul Alcides aurato ex aere resulget

Nudus, & imberbis, florensque etate, torosam

Armatus claua dextram, tenet aurea mala

Leo X.
 Pòt. max.

Hercules.

*Læua manus, quæ per uigili seruat a Dracone,
Hesperidum ex hortis prima rapuisse iuenta
Dicitur: inde Iouis templo sacra Feretri.*

*Ignipotentis opus diuersa in sede videbis
Arma, Ducèsque duos operoso marmore uinos,
Vultibus oppositis stantes: te maxime Caesar
Imperij princeps audaci cæde perempte:*

*Tæq. Auguste patris vindex: dein pacis amator,
Quam tandem multos seruasti victor in annos,
Immoto Iani præclusis cardine portis.*

*En sæuum diri quod erat caput ante Neronis,
Commode sæue, tuum est. cur non cõmune duobus
Nimirum immani spirans immania vultu?*

*Ecce Lupa altricis pendentes obere binos
Lupa cum
Romulo,
& Remo. Ceruice inflexa pueros, vultuque supino,
Submissoque genu: præ se regale ferentes
Ingeniũ, patremque animo præserte Graduum,
Principij argumentum ingens ingentis, & artis.
Ære quod è solido seruauit longa vetustas
Eximie effectum, nullique imitabile cælo.*

*Materia puer impubes constatus eadem
Infans spi
nan ex plã
ta pedis
extrahens
acu. Exsertat spina nudato corpore nodos,
Dum studet adducta sentem diuellere planta
Incuruotensum dorso sinuatus in arcum
Quàm timet aq totus, quàm sensus colligit omneis
Sollicitus subtilis acus ne cuspidis ictu
Plaga recrudescat, fiatque in vulnere vulnus!*

Præteream imprudens simili quod prænitet ære

*Instar habens serui, vultuque, habituque decoro?
 Interiore arcis Tarpeia in parte superbam
 Ultoris Bruti statuam, vultusque severos
 Adspice, crudeli natos qui dedere letho
 Sustinuit, cara pro libertate suorum.*

Vicit enim patriæ pietas (res mira) paternam.

*Denique cernuntur fluuiorum fusa duorum
 Tigridis & Nili simulacrâ è marmore ducta.
 Sphinge sua vt Nilus, propria sic tigride Tigris
 Nititur: inque manu est cum diuite copia cornu
 Ambobus, dites designans vberè campos.*

*Omnia quæ tacita seruant Capitolia cura
 Noctes atque dies: quid? nonne sagacior anser,
 Qui clam irrepentes garritu prodidit hostes?*

*Tyndaridas memorem geminos, ô Nate, dorum
 Sublimi letos assultu quadrupedantum?*

*Qui quondam insignes in equis, atque ære corusco,
 Romanas acies inter decernere visi*

*Inuicti iuuenes, Latio socia arma ferentes,
 Auditique palam victum prædicere Persen,
 Emathiâque omnem Paulo vincente subactam.*

*Prisca Quirinalis decorant nunc culmina montis,
 Cui dempsere vetus, noménque dedere Caballo,
 Corrosôque licet spectentur corpore trunci:*

*Alter Praxitelis digitis animatus anhelat,
 Alter Phidiacæ spirat calamine dextra.*

*Tam diuinæ artis simulacrum, vt se ipsa vel vltro
 Natura insigni victam fateatur ab arte.*

M. Brutus

Tigris &
Nilus.Castor &
Pollux.

In Palatio Parte alia plures uno de marmore surgunt,
 Illoft. Car Quos primo intuitu viuos contendere credas,
 dina. Verum tanta parit nullam contentio vocem.
 FARNESII Zetus, & Amphion spreta pia pignora matris
 Amphion Vltiores, ducta Regi pro coniuge Dirce,
 TAVRVS. Hanc meritò exagitant tauro post terga reuinctam
 Dirce. Indomito, & torua truculentum fronte minanti,
 Antiope. Cornibus & camuris, oculisque ardentibus igne:
 Qui sinuans caudam collectas suscitât iras,
 Ac velut in rabiem stimulis haud mollibus actus
 Perfurit: elatisque animis se feruidus effert,
 Et pede sublato (gliscens sic imperat ardor)
 Durum dura solum gestit quaterere ungula pulsu.
 Arguit ars sexum: nam ni violentior esset,
 Nam nisi mas, dici potuisset vacca Myronis.
 Ast alij contra iuuenes per cornua nexis
 Fumibus adtractum prohibent: cursumque refrenant
 Raptantis tauri, frustra: nam morte cruenta
 Diuersos inter cruciatus saucia Dirce
 Membratim miseram dispergit in aëra vitam.
 „ Sic sua suspensio sequitur pede pœna nocentes.
 Haud procul hinc sceptro mater Regina recepto
 Antiope, victrix sumpto de pellice sæua
 Supplicio atroci, voti tum denique compos,
 Non secus ac paruo gaudet de ducta triumpho.
 „ Fœmineis animis vindicta tanta cupido est!
 Valle sedens viridi superimpendentibus umbris
 Arboris aëria (quæ sic sua brachia pandit,

Pastor:

Ut densum sit sola nemus, lucú(s)que Dianæ)
 Pastor virgatos modulans texit calatiscos
 Lucundum studio, cantú(que) leuante laborem:
 Dum Gallæ dulces secum meditatúr amores,
 Delicium tereti pendet cui fistula ramo,
 Fistula, quam moriens donauit habere Menalcas:
 Et dixit, Lycida te nunc habet ista secundum.
 Felix sorte sua, magnis nec Regibus impar
 Contemptu rerum: tantillo viuere suetus
 Nil petit à Diuis, nisi quod vitæ expetit usus.
 Cæna iuuat tenuis, modico sudore parata
 Quem nec auara sitis, fallax nec gratia Regum,
 Nec cæca ambitio, nec gloria torquet inanis.
 Ipse sui princeps, idem parét(que), iubét(que),
 Aurem in vtramque capit tranquilla mente quietem,
 Paruarum securus opum, custode lycisca,
 Latratu resonat celebratus nocte Cytheron.
 Attonitos retinent pastoris carmina Diuos:
 Quid si multiplici spiraret tibia buxo?

Hic etiam à primo longè mutata decore
 Insignis statua est, dextraque exsculpta perita.
 In rigidos ergo lapides dammosa vetustas
 Ius habet: huic quamuis maculoso è marmore ducta,
 Multiplici quamuis distincta emblemate passim,
 Quamuis illa foret rerum Natura creatrix
 Cunctarum: tamen haud genitrici nata pepercit,
 Dé(que) sua vistrix ætas nunc matre triumphat.
 Nam prostrata solo est, caput obtruncata manú(s)que

Natura.

Innumeros ceruice gerens infráque supraq;
 Calatos hinc inde mares, tenerasq; puellas,
 Pectoréque in medio bis sex caelestia signa:
 Hic quoque texta viuet querna de fronde corona,
 Alteráque è gravidis hedera pallente corymbis.
 Mille sinus mammis scatet vndique, plena leonum
 Sunt catulis manibus quæ brachia trunca supersunt.
 Quod reliquum est magno de corpore, fascia multa
 Obuoluit: solet in cunis vt ppsio lactens
 Astringi vittis: animalibus hæc quoque vestis
 Omnimodis ornata sacros ostentat honores
 Naturæ: ceruos videas, querulasq; cicadas,
 Harpyias, Angues: animantia denique cuncta,
 Quotquot terra parit, fouet aër, educat vnda.

Æscula-
 pius.

Stipatus torto Deus en Epidaurius angue
 Obtegitur longa, nudato pectore, veste,
 Et baculum innixus gestat siluestre sinistra.
 Peste laboranti fuit ille salutifer urbi
 Sedibus è patriis Latias aduectus ad oras.

Tuscia Ve-
 stalis.

Non ego te prudens tacitam Vestalis omittam
 Virgo pudicitia falsò rea credita læsa
 Quæ cribro exhaustas Tyberino flumine lymphas
 In Capitolini portasti templa Tonantis,
 Quo manifesta dares seruati signa pudoris.

Hermaphrodi-
 tus.

An miram dubij statuam loquar Hermaphroditij
 Formatam lapide insigni, raróque Basalte,
 Duritia ferrum, ferrum referente colore?
 Sed dubitat lapidi rara ars concedere raro.

Virginis os, habitumque gerit: passosque capillos,
 Imberbi mento, mammaeque utraque tumente,
 Feminum sexum, sexum sortita virilem,
 Semiuir ut virgo est: sic vir quoque semipuella est
 Femina, másq̄ simul, neutrumque, & utrumque videtur.
 Quidquid id est, dextra nudum caput obtegit vlna,
 Pulcra puellari suffundens ora pudore,
 Quo decor augetur, tum leuis gratia vultus.

Hoc stabilita loco de Nymphis vna Dianæ
 Humanam superat procero corpore formam.
 Quæ lapide ex vno faciémque, manúsque, pedésque
 Candida: nigrantes reliquo fert corpore vestes,
 Venatrix, latósque humeros, & pectora circum
 Exumias induta feræ, celsáque coronam
 Gestat odoratam dextra, florésque sinistra:

Vna è
 Nymphis
 Dianæ.

Effictum magnam simulacrum in signe per artem

Hic quoque culta nitet variis Dea Flora coronis,
 Quæ statuit dictos proprio de nomine ludos,
 Romano celebres populo: meruítque Dearum
 Adscribi numero statuis arisque dicatis.

Dea Flora.

Mercurium memorem nudum, virgáque, galeróque
 Instructum, nexumque pedes talaribus aureis,
 Fida Iouis celeres qui fert mandata per auras?

Mercurius.

An Gladiatorem nudo quoque corpore, dextram,
 Exerta armatum sica, vacuáque sinistrum
 Vagina latus accinctum, quam pendula collo
 Nexam lora tenent. audax, tumidúsque inuenta
 (Si licet è vultu mentem præsumere) sauo

Gladiator

*Accensum iuuenis cōhibet sub pectore Martem.
Nam dextro parmam calcat pede, proxima castis
Ponē jacet, laeuae tunica est contermina sura.
Arma parata videt foris securus, & hostis.*

Hercules
colosseus

*An ne Colosseum cum claua & pelle leonis
Alcidem, innixum trunco de marmore eodem,
In quo Cecropij manus admiranda Glyconis?*

Bellona.

*Hic Bellona ferox facie crudele minanti
Cristata galea caput armat, & Ægide pectus.
Heu caue, ne imprudens lapidescas Gorgone visa.*

Duo ca-
ptiui Re-
ges.

*Captiuos etiam geminos hic adspice Reges,
Occultum mæsto testantes ore dolorem:*

Delphin.

*Quorum hic Armenia, Parthorum Rex fuit ille.
Hic pandum videas Delphina, equitēque puellum
Multiplici caudæ nexu, spiriisque reuinctum
Intrepidè vasti sulcantem cærule ponti.*

Triton.

*Hic quoque conspicitur pronus, de more natantis
Æquoreus tubicen, Neptuni ad iussa paratus,
Quæ ferat & salsas, & dulcis tuta per undas,
Conuocet & Diuos pelagi populōsque silentes:
Pube tenus piscis, reliquo sed corpore numen.*

Bacchus.

*Thyrsger huc Bromius Nisæ de vertice venit
Pantheræ spolio collūmque & pectora cinctus,
Cui frontem innatis circumdat pampinus vis:
Dextra tenet tumidos viridi de vite racemos.*

Silenus.

*Silenusque suo venas inflatus alumno
Atrita quamuis penderet cantharus ansa
Dilectum sacro Bacchum de monte secutus*

Agræstes

Agristes inflat calamos, & carmina cantat.

Indomitus Divum Regi qui noluit unquam

Cedere, cumque illo Tarpeia solus in aede

Restitit, inuictus turba cedente Deorum:

Contentus nunc sede sua mansuetior ecce

Atria cum reliquis celebrat tua letus, herumque

FARNESI agnoscit cedens tibi Terminus vni.

Cedere quem nobis iubeas patronus, herusque

Meta tuis statuis fesso mihi terminus ut sit,

Si signis statuisque tuis est terminus vllus.

Linqvo etenim permulta sciens viuentia signa

Marmore de vario latas semperque patentes

Felicit placidique viri quæ sparsa per aedes

Istatione sua spectantum lumina pascunt,

Et dubiam attonito faciunt in pectore palmam.

Nam quæ finis erit si cuncta referre laborem?

Mnemofynas sileo, & dulces, sua pignora, Musas,

Montiuagosque simul Panas, nemorumque potentes:

Siluanos, facilesque agrestia numina Nymphas:

Capripedes taceo Satyros, Faunosque bicornes,

Et Cygno insignes Ledas, raptasque Sabinas.

Mitto tot effigies mutilas, tot stemmata prisca

Trunca pedes, accisa manus, & brachia: quæ nunc

Srrata iacere vides passim sine corpore vultus

Innumeros, atque innumeros sine vultibus artus,

Plurimaque auulsis incognita corpora membris.

Mitto tot Alcidas caelo capita alta ferentes,

Nodosa armatos claua, spolioque Leonis.

Terminus.

Mnemofyna.
Musa.
Panis.
Siluani.
Nympha.
Satyri.
Fauni.
Leda.
Sabinæ.
Multa
effigies
mutilæ.

Mitto tot enormes, pulsantésque astra Gigantes
 Monstra hominum, vasto vastas sub corpore moles.
 Quid magnos membrorum artus, magna ossa, lacertoque
 Effingens, frustra contendam aquare canendo?
 Singula quæ spectanda tibi miracula monstrat

FARNE-
 SENÆ
 domus
 descri-
 ptio.

Farnesina domus: quam cælo astrisque propinquam
 Culmine multiplici, fulvo radiante metallo,
 Marmore distinctam vario, fultamque columnis
 Arte laboratis mira, curaque politis,

Magnorum æquantem spatiosa palatia Regum,
 Immani luxu Latia construxit in urbe

Vrbis amor, decus Italiae, sanctique Senatus

Clarus ALEXANDER, factis ingentibus, ingens

Doctrina, eloquio, miti venerabilis ore,

Deliciae humani generis, pia cura Deorum.

Nec tam purpurei decoratus honore galeri,

Quam decorans: siquidem, licet alto, major honore est.

Et gestare sacrum triplicis diadema corona

(Digna rependantur meritis si præmia) dignus.

PAVLVS 3.
 Pont.

Maximus.

Præsulis ille nepos hinc usque ad sidera noti,

Quo non immenso melior fuit alter in orbe,

Inque gubernaculo Petri ratis, inque furenti

Fluctibus undisonis, medio prudentior æstu.

Nunc colit astra, velut terris Astra a relictis.

Sirletus
 Card. Ill.

Est, qui pro mutis monumenta loquentia saxis

Exhibeat, veterumque immensa volumina verset

Nocte, die; gestans Tyriae decora alta tiara.

Sirletus, sancti notissima gloria cætus.

*Quem trina celebrem reddit facundia lingua,
Et disciplinis formatum pectus honestis,
Præceptisque sacris, & moribus exornatum.*

Exhibet & nobis titulo donatus eodem

*Pro signis, pro marmoribus, celsisque Colossis,
Rebus in angustiis, recto sub paupere dives*

Bobba modos Lyricos non inferiora loquutus

Uate Venusino : cuius defluxit ab ore

Grande melos, cannis Indorum dulcius ipsis!

Scriptis Bobba suis opus ære perennius omni,

Nec non pyramidum conis longè altius altis

Exegit : quod nostra ætas miratur, & effert

Laude noua quod posteritas æquabit Olympo

Ob cultos numeros, ob pura vocabula rerum:

Roma quibus nihil audiuit numerosius olim.

Et si Bembe jaces Venetum laus magna tuorum

Viuis adhuc, viuesque æterna in secula, vates

Ante alios celebris Tusca Latiæque camæna.

His rutila accedant magna duo sidera Romæ,

Quæ proprio sese prodentia lumine si quis

Subticeat, nolitque suis intexere chartis

Inuidus; ille odij maculas, genitque maligni

Detegat : & se amens inhonesto crimine fœdet

Suppressis addens majus luménque, decúsque,

Manzulus Rhegi venerandus Episcopus, in quo

Ambiguum vincat probitas, doctrinæque præstet,

An cedat patribus vitæ pia functio priscis.

Pacifica ingenuas exercet Palladis artes

Bobba
Card. Illu.

P. sembus
Card. Illu.

Mázolus
Rhegius
Episc.

Clarus ut ingenio, sic clarus utroque parente,
 Conciliatque suis diuina volumina Musis,
 Et solidas sanctis virtutes moribus aequat.

Martellus
 Glandeuæ
 episc.

Alter Glandeuæ Præsul Martellus, eisdem
 Dotibus insignis mystes Aganypidos vnda.

Illo non alius dulces magis intonat ore

Concentus: mentis dum nubila discutit alta

Ardua incundo demulcens seria cantu.

Felix qui tanto placidus sub culmine laudum

Effrenes animi didicit frenare tumultus

Sacris imbutus studiis: & liber in isto

Ante alios currit stadio securus honorum

Maiorum: sua cui merces amplissima virtus.

Hec, vestris quanquam meritis, fama que minora,

Sint satis Heroes: noceat ne rustica nostro

Musa animo, vestri monit quem splendor honoris

Dêque rudi incultas, sed veras: pectore voces

Elicuit, superet veri reuerentia Lingue

Defectum, secumque sua sibi conscia laudis

Exsultet. Nunc ad Statuas, simulacrâ que muta

Debita suscepti renocat nos cura laboris.

In Ædib⁹

HADRIA-
 NI episco-
 pi Aquinatis.
 Adonis.

Ecce tibi è Pario rediniuus monte resurgit

Iam se viuidiior, jam se robustior ipso

Delicia Venus alma tua formosus Adonis.

Nunquid ut affigas caris pressa oscula labris,

Curris in amplexus jam nunc secura pericli?

Namque caput crudelis apri cœruice resecta

Impositum est trunco laua: idextrâ que Molossus

Claudit herile latus truculentior hoste perempto:
 Fulmineo qui dente tuos violarat amores.
 Usque adeo spirat sub imagine verus Adonis,
 Ut, quanquam lapis, incendat præcordia Diuæ!
 Antiqui simulacrum æui, viuûmque toreuma
 Ornamentum artis, solamen dulce Cytheres,
 Nunc decorat venerande tuos Adriane penates.

Tres sileam Charites candenti marmore nudas,
 Vultibus auersis stantes, fucôque carentes,
 Atque catenatim inter se permutua nexas?
 E quibus vna libens sua dona merentibus offert
 Gratuitò, speransque sibi nihil inde rependi:
 Accipiunt aliæ spectantes lumine clarò,
 Protinus ut pensent cumulato munere munus,
 A scræi diuina senis præcepta sequuta.

Heu nunc illarum quàm rara exempla videmus!

Ille Molossorum regnator maximus armis
 Pyrrhus Achillides terrorque, horrorque Quiritum,
 Hoc tibi marmoreo simulacro redditur: ingens
 Corpore, terribili galea, conòque comante
 Indutus caput, & pectus thorace trilici,
 Consertòque hamis, squammisq. ardentibus auro:
 Brachia nuda tamen: suras euinctus ahenis
 Bracteolis: dextra est Pellæa armata sarissa,
 Laeva autem ingenti clypeo submixta recumbit.

Adspice ut inuictos animos gerat, adspice vultu
 Terribili ut spiret Martem, bellumque minetur?
 Purpureus lapis hîc effusus Sinadis antro,

Tres Cha-
 rites.

In Ædib⁹
 MAXIMO-
 RVM.
 Pyrrhus.

In Ædib⁹
 VALEN-
 SIBVS.
 Marcias.

Vnum demonstrans in toto corpore vulnus,
 Sanguinis & guttas mananteis undique: pœnam
 Crudelem illius (Phœbum contendere contra
 Qui quondam est ausus tanti certaminis impar)
 Indicat: ac spreti metuendas numinis iras.
 Heu quæ tanta tui mentem fiducia cepit
 Marsia? cede Deo, nec sit tibi gloria tanti,
 Vt pereas: satis est homines superasse, potentes
 Mitte Deos, cum sis syluestri sanguine cretus,
 Et raro nondum cæli dignatus honore.

„ An visus quisquam est impunè laceßere Diuos?
 Indidit iste suum tibi, Phryx ô Marsya, nomen:
 Qui fufis lacrymis Nympharum impensus auctus,
 Fluctibus inde nouis Ægæum illaberis æquor.

Satyrus.

Cornipedem taceo Satyrum cum pene salaci,
 Quamuis eximij tritus sit ab arte magistri.
 Nam decet obscœnis oculos auertere rebus,
 Atque animum: ut virtus semper nitatur honesto.

Coliseum

Quis veteris fragmenta videt restantia molis,
 Corrupto prisca quæ nomine dicta Colossi,
 Nec miratur ad hæc (quanquam sit sub Ioue aperto)
 Tempora durasse? & nullis sub dentibus æui
 Interisse? licet Gothicus mandauerat hostis
 Signari, & scalpro incidi saxa omnia ad vnum.
 Anne ut sæuitiæ, placidine ut muta manerent
 Signa animi? seuam vicit clementia mentem,
 Diuini que operis tetigit iactura Tyrannum.

Pantheû.

Quis ve ædis (quondam quæ Panthea fana) rotunda

Orbe suo calum referentis, da dala summi
 Carminibus dignis celebret fastigia tecti?
 Plumbea quæ nunc sunt, fuerant argentea primùm:
 Sed tota Vrbe furens hæc Constantinus ademit
 Tertius, euerfor Latij prædoque decoris.

Fornicis in medio vacuus patet oris hiatus,
 Luminis vnde sui radios infundit Apollo
 Illustrans totum patulo de culmine templum:
 Vndique cæcus enim paries transmittere Solem
 Nescit: at irradians oculo lux manat ab vno,
 Suppositusque illi gurges tellure sub ima
 Multicauo pluiias absorbet marmore guttas:
 Lata autem quantum spatij capit area, tantum
 Ingens æthereas testudo tendit ad auras.

Quæ prius vltori fuerant sacra Tonanti.

Quis solido antiquis sculptas ex ære figuris
 Non stupeat valuas, postæque, & abenea vincla?

Porticus est iuxta Paris suffulta columnis
 Arte laboratis prisca, trabibusque superbis
 Arte Corinthiaca fufis, auroque politis
 Magni opus Agripæ, cui nullum viderat ætas
 Par prior: & nullum par hæctenus altera vidit.

Delubri antè fores fusco spectabis Ophite,
 Inter sculpta duo maculoso marmore labra,
 Cælatos formaq; pari, specièque Leones,
 Signis incisa Phariis base, corpore toto
 Reflexis in se genibus, caudisque jacentes.

Roma habuit quondam duo Septizonia: sed vix

Porticus
 Panthei.

Labra &
 Leones
 duo.

Septizo-
 nium.

Stat modo dimidium vnius, quod cura Scueri
 Septimij exiit, septem cinctum undique Zonis:
 Quæ Moli tribuere suo de nomine nomen,
 Sive via septem, aut septena solaria: mirum
 Dædalæ artis opus cælo caput extulit: at nunc
 Ordo columnarum terro tantum ordine restat.

Circus Ma-
 ximus.

Vasta ruina modo est, vbi Circus maximus olim,
 Circenses in quo celebrabat Curia ludos.

Ausim ego sudantes præstringere carmine metas?

Mons Pa-
 latinus.
 Pallanteū.

An ne Palatinum memorem montis que jacentes

Reliquias dedit Arcadius cui nomina Pallas?

Hic locus urbis erat, cum res Euandrus haberet,

Hic primi quondam fixere mapalia Reges,

Hic cuna imperij: Farnesia nunc vbi tempe

Horti il-
 lustr. Car.
 FARNESII.
 Templum
 Deæ pacis.

Cernis, & excultos immensis sumptibus hortos

Testantes domini sublimia pectora magni.

Quos circum antiquæ disiecta cadauera Roma,

Et prostrata vides delubri rudera Pacis,

Quæ prisca ostentent Regni incrementa futuri.

Marcelli
 Theatrū.

Marcelli ingentis perpende insigne theatrum

Omnibus antestans operosa mole theatris.

Carcer erat locus hic damnatum vbi morte, famæque,

Vberibus lactans aluit pia nata parentem.

Qua pietate salus matri est quesita, sacrumque

Hic positum fausto pietatis ab omine templum,

Marcelli nunc est Marcello auctore theatrum.

mausoleū.

Vertice sublimi cælum pulsare solebat

Cæsaris Augusti mirabile Mausoleum:

Mausoli

*Mausoli tumulo nec cedens mole, nec arte
Aere quem vacuo mœrens suspenderit uxor.
Longa dies pridem tam raro inuidit honori:
Nam collapsa jacent operis monumenta superbi
In media spectanda via: patriæq; parentem
Nec vitæ pietas, nec tot iuuere triumphhi.*

Adriani
moles.

*Ælius haud procul hinc pons est, vicinaque ponti
Trans Tyberim moles Adriani cernitur: in qua
Antoninorum cineres de more parentum
Asseruabantur curui sub fornice tecti,
Nunc Castro Sanctus nomen dedit Angelus: arxque
Illic Pontificum tutissima Romulidarum.*

Trajani &
Antonini
Colunæ.

*Quis non suspectu attonitus mirabitur ipso
Trajani immanes Antoninique columnas,
Tot templa, & thermas, tot balnea, totque Colossos,
Circos, amphitheatra, odœa, trophea, sepulcra,
Atque triumphales arcus, grandæque obeliscos,
Et tot Pyramidas minitantes nubibus ipsis?*

Marij Tro
phœa.

*Vis dicam Marij præclara trophœa ferocis
Hostibus exuias raptas, & stipite fixas
Marmoreo, truncum lacero thorace grauatum?
Hic conum, hic fuso maculatas sanguine cristas
Contusis galeis, ruptoque hastilia ferro,
Obtusos hebetesque enses, ac scuta cruenta,
Telæque trunca vides, captiuus mœret eodem
In saxo Iuuenis, manibus post terga reuinctis.*

Marpho-
rius & Pa-
squillus.

*Quis te Marphori, quis te Pasquille tacebit
Oracla elingui promentes marmore vera,*

Quorum fama volat totum vulgata per orbem?

Æterni rates vos inclyta turba poetæ

Semper flore nouo cumulabunt, semper honore,

Votiuæ & vestris appendent carmina templis.

Cur addam tot multiplici, variaque figura

Amphitrioniades spirantes siue colore,

Sen caelo, ad caelum vasto de marmore ductos?

Totque Ioues longè metuendos igne trifulco,

Tot facibus Veneres, tot acuta cuspide Amores?

Tot gladiatorum statuas, totque ora verende

Mnemosynes, priscòque ornatas more Sabinas,

Tot quoque legiferæ Cereris, magnaque parentis,

Totque incertarum spirantia signa Dearum?

Deficiet prius ipsa dies quàm singula narrem.

Sed cur fictorum versu monumenta Deorum

Prosequar ulterius, quum sint quàm plurima veri

Vina Dei simulacrâ pio dignissima cultu,

Cultu, mortali concesso, nempe perenni

Vt laude, & titulis meritò celebrentur honestis,

Gallica qui Latia iungunt sua lumina luci.

Quos inter PELVÆVS amor Diuumque hominumque

Antiqua de gente satus, cui suauè rubenti

Ostro insignis apex frontem tegit, & caput ornat:

Et, quæ bis tinctâ est ardenti murice, vestis

Egregium Tyrio decorat velamine corpus:

Quod magis effulget præclara mente coruscans.

Tu quoque REMBOLLETE pari donatus honore

Nobilium cretus generosa prole parentum,

Pelæus
Cardina-
lis. II.

Rebolle-
tus Card.
II.

Ingenij miro dotatus acumine, doctas
 Annectis prisco generi Tritonidis artes
 Lampridem Latia gratissimus incola terra,
 Cui gemino longè ante alios fulgore renidens
 Impertis radios genere & virtute micantes.

Regius accedit Legatus ABENNIVS illis,
 Nomine quem Rupes Pozea illustrat auito,
 Clarum etiam proprio: magna cum laude Minerva:
 (E cuius cerebro natus) materna frequentat
 Fana pius, matriisque fouet studiosus alumnos,
 Illius ante omnes instaurans sacra sacerdos,
 Impendens quicquid superest à rebus agendis
 Temporis, ingenuas caræ genitricis in artes,
 Et quæ digna satis decernat lautia Romæ?

Nec tu etiam BVRGIV nobis inductus abibis,
 Delicia Charitum, Musarum summa voluptas,
 Atque vrbi merito pridem gratissime nostræ,
 Qui genus à Galli supremo iudice iuris
 Duxisti patrium meritis patre dignus honorem.
 Quin etiam inuicti componis proxima Phæbi
 Versibus, & magno non inferiora Marone
 Nec Colophoniaco quidquam cedentia plectro.

Accedet Latia (mibi mens sic augurat) aule
 Incrementum ingens, ingens simul ornamentum,
 Franciscus JOEVS A sacra nouus aduena Romæ
 Cui Narbonensis clarum caput infula cingit,
 Cui virtus, cui mens multò est maturior annis
 Et pietas, & cana fides: nec dicere promptum

C staneus
 Abeonius
 Rupipo-
 zeus.
 Legatus
 Reg.

Burgius
 Epico.
 Riens.

Fr Ioësa.
 Card. il-
 lust.

Nobilitas, an religio sit maior in illo.

*O per te liceat, MURETE, colone feracis
Diues agri, centum campos qui vertis aratris,
Fœcundas segetes dum falce recidis auaras,
Per te, inquam, liceat vel inanes forte relictas
Colligere hîc spicas inopi te ponè sequenti,
Et miserum arguta perdenti carmen auena.*

- Cur verò repetem, aeterno qua carmine condis*
- Illustr.
Cardinalis Estensis ædes & horti TIBURIS.
Anio.
Nymphæ.
Bacchus.
Fons auuiû
Noctua.
Leda.
Hercules.
- Magnificas ædes, auròque interlita tigna
Regis opus: nec non lambentem nubila lympham,
Sublimi assultu varias reddente figuras?
Labentèsq. Anienis aquas per viscera rupis
Excessa humanis manibus, multòque labore,
Nymphæque adstantes, undamque capacibus urnis
Exceptam ductim fundentes agmine denso.
Cur ego bis genitum, cur vos Nyseides addam,
Perpetuûq; hortos veris Tiburtia Tempe?
Arati sileo sempèrque virentis abenas
Dumeti & frondes, & aues ex ære loquaci
Certatim in docili mulcentes athera cantu:
Quamque sciens, vates tacitus prudenter omittis,
Ne subito apparens abrumpat noctua cantus,
Atque auditorem ferale carmine turbet:
Sed propria vt maneant concentus gaudia tanti.*
- Quid dicam, niueo qui personatus olore
Ignaram falsa delusit imagine Ledam?
Nodosæ armatus claua, spoliâque Leonis,
Ingens Oeteus tergo qui sustinet orbem*

Alcides negat hæc, licet edita, tecta subire,

Forsan & hic superent tibi quæ visenda, requiras
O sili, mentem monitis aduerte, docebo.

Fontibus innumeris locus hic scatet, arboribúsqve
Quincuncis recto digestis ordine surgit:

Naiadum & signis læui de marmore ductis.

Vt sileam pulchra Veneris, castaëque Dianæ,

Atque Sibyllarum cryptas, ternósqve colossos

Implicitisqve in se redeunt flexibus, horri

Parte ab vtraque duos Labyrinthos Dædala septa.

Emanant scatebris passim salientibus vnda.

Hæ speculi nitidam reddunt sub imagine formam,

Oceanum Tethymque ille Neptunia Regna,

Quæ tumidis sinuata vadis crissantur ab aura,

Et solis rutilo radiis fulgentibus auro.

Mauortisque aliæ septem cum collibus urbem,

Et statuas, & aqua ductus, & templa Deorum,

Et quæcunque valent absentem reddere Romam.

Iridis hæ referunt varias aspergine formas.

Pura siracusios jam dedignata meatus

Hic Arethusa suum fundo caput exerit imo

Marmoreum: Alphæi tandem secunda furoris.

Hic Pandora, illic Pomona, istic Aganippe,

Flora suas alibi spectat decurrere lymphas.

Hic quoque fons (nomen sculpti fecere Dracones

Bon compagnagnæ præclara insignia gentis,

Cuius honos summus Romanæ præsidet urbi)

Bellica qui magno simulat tormenta fragore,

Fontes.

Cryta
 Veneris,
 Dianæ
 Sibyllarú.
 Colossi
 Labyrinti

Fons Spe-
 culi,

Occani.

Romæ.

Iridis.
 Arethuse.

Pandoræ.
 Pomonæ.
 Aganippe
 Floræ.
 Fõs Dra-
 conum.

- Dum ruit, & tonitru mentitur fulmen Olympi.*
- Fons Tritonis. *Arte noua inclusis sub aqua spirantibus Euris,
Assimilémque tubæ stridorem edentibus acrem
Personat aurata latè loca concaua concha
Cæruleus Triton: colles clangore resultant,
Atque repercussa responsat vocis imago.*
- Fons Organorum. *Quinetiam arguto labentis murmure lymphæ,
Dadaleisq; modis, grato resonante canore,
Musica mulcebunt variis concentibus aures
Instrumenta tuas dulces modulantia cantus,
Quattuor, aut quinas numeris æquantia voces.
Queis cedunt (mirum) quæcunque industria solers
Extudit ad sonitu mulcendas ilice mentes.
Quanquam olim fidibus scopulos animasse vetustus
Dicitur: & rigidas duxisse è montibus ornos.
Quid non humani ingenij vis ignea tentet?*
- Fôtes alij permulti. *Non dicam reliquos, & signa notantia, fontes:
Palladis, Antinoes, Lada, Albumæque Sibyllæ,
Cum caro in primis nato Inoo Melicerta,
Bis genitique Dei, & tenerorum matris Amorum
Nudis cum pueris, urnis fundentibus undas
Atque Colossorum, Triuiæque, & Mounocerotis,
Atque volantis equi, Thetidisque, bonæq; Hygieiæ.
Et gelidas Anienis aquas, atque Herculis amnem.
Mille, & mille alios passim sine nomine cernes
Surgere fonticulos variis è partibus horti.
Multæque præterea spirantia saxa videbis
Antiqui veras moris referentia formas:*

Quæ nondum perfecta suis ornatibus exstant:
 Sed ventura dies operi fastigia ponet
 Forsitan: atque supra mundi miracula tollet:
 Si par Estensem contingat cura Nepotem,
 Quæ patruo fuit Hippolyto, dum vita manebat.

Hæc tibi præcipuè, Fili, spectanda notant,
 Perstringens breuiter simulacra hominûmque Deorumque,
 Et Labyrinthis distinctos flexibus hortos.

Illustriss.
 Card. Estê
 fis.

At tibi cura Deûm FARNESI, gloria cætus
 Purpurei, quem rara decent: quod vilia figo
 Delubris hæc dona tuis, adytisque profanus
 Admitti cupio supremi oblitus honoris,
 Quo pridem fulges à summo Præsule primus
 Arguar augustam temerasse audaculus ædem
 Diuite conspicuam gaza, sacrâque verendam
 Maiestate sui domini: nisi fortè pusilla
 Grandibus æquiparans animo metiris ab ipso
 Oblatum: gratæ spectant vt munera mentis
 Calicolæ, quis enim te digna rependere possit?
 Ergo faue, & nostros latanti suscipe mente,
 Susceptosque tuo candore expendere labores,
 Indice te vt pereant: vel te quoque vindice viuant:

F I N I S.







AD GERMANVM AVDEBERTVM
 DIVI MARCI VENETI EQVITEM
 Torquarum, & amicum suauiff.
 de sua Roma.

LVDOVICVS ALEALMVS, apud AVRELIOS
 PRÆSES, ac Subpræfectus.

ROSTQVAM est vrbs Venetum tibi carmine
 dicta venusto,
 En canitur lepidis Martia Roma modis:
 Illa sed integro patuit formosa decore:

Maeriamque vltro versibus exhibuit.
 Hæc abstrusa suis latuit pudibunda ruinis,
 Vt latet aggesta vile cadauer humo.
 Arte tamen tanta cineres atque ossa sepulta
 Colligis, & propriis digeris apta locis:
 Reliquis, facile vt quiuis cognoscat, ab istis,
 Quanta olim, rerum cum potiretur, erat:
 Sic totum a solo cognoscimus vngue leonem,
 Sic menso Alcidem noscimus ex stadio.
 Anne etiam maior sese censebitur ipsa,
 Carmine tam pulcro conduplicante decus?
 Namque tot vt sileam seclis deleta venustis
 Tempia Deum, & putri lapsa theatra situ,
 Totque arces, circoſque, & celsa palatia, quorum,
 Ipsa etiam absumpsit ruderata tempus edax.

F

Et tot de spoliis structos hostilibus arcus,
 Iamdudum longa qui periere mora.
 Tot quoque Pyramides, obeliscos, atque columnas,
 Clarâque magnorum fracta trophæa ducum,
 Sub cultu quæ nunc multo potiore reponis,
 Authores olim quam posuere sui.
 Hæc, inquam, ut fileam: quæ sculpta è marmore signa,
 Siue hominum referant, seu magis ora Deum:
 Præscorum artificum tam sunt perfecta labore
 Facta ut sint cantu non meliora tuo?
 Si meliora tamen simulacra loquentia mutis
 Et viua exanimis anteferenda putas,
 Laocoönne, ingens Rhodiorum gloria fratrum
 Notusne ex pharetra nudus Apollo sua?
 An regina Phari tot regum animosa propago
 Præuenit fædum quæ nece seruitium?
 An Veneres geminæ? an qui captat arundine pisces,
 Ignoti artificis laus sine laude, puer?
 Armisne? an Tyberis? Nili an stagnantis imago?
 Nympharum an princeps, & pater Oceanus?
 Tyndaridæ-ne duo, & geminorum corpora equorum,
 Diuinus Phidie Praxitelisque labor?
 Tergeminæ an Charites? an Adonis? an Hermaphroditus,
 Ut sexu ambiguus, sic quoque materia?
 Pyrrhusne, Acacidum magnum decus armipotentum?
 An trux sub cultu Commodus Herculeo?
 Turbanæ quæ taurum stimulat reprimique ferocem,
 Dum secura sedens ocia pastor agit?

Cætera ne illa tuo qua te memorante libello
 Tanta urbis præcæ testificantur opes?
 Quæ spirare quidem sæcæ pro imponente videntur,
 Sed melius numeris sunt animata tuis.
 His siquidem verè viuunt, verèq; loquuntur,
 Et veros sensus non sine mente gerunt.
 Per te igitur vitam viuunt modo Roma secundam,
 Sed quæ sit multo grata priore magis.
 Cùm neq; vel sua iâ, vel barbara bella tremiscat,
 Mansura æternum carmine nixa tuo.
 Vtq; olim mundum sua iura subire cœgit,
 Percurrens armis solis utrâmq; domum:
 Sic & nunc fama terras implebit & undas
 Atque iidem fines urbis & orbis erunt:
 Ad iucis Herculei famosos Tyburis hortos,
 Et muros lusus profluentis aquæ.
 Nunc speculum quæ sit, nunc picta coloribus Iris,
 Suaue modo cantat cœni moturus olor.
 Nunc tormentorum furiosa tonitrua fingit,
 Obsessa ut credas mœnia ab hoste quati.
 Tum volucres ex aere cauo, super arbore athena,
 Innumeros dantes ore sonante modos.
 Tot diuersarum donec modulamina vocum.
 Noctua conspectu comprimat vna suo.
 Insuper è Pario viuentia marmore signa,
 Parrasij optarent quæ posuisse manus.
 Implicitum Lædæ formoso corpore cignum
 Pulcrior & quo non Jupiter ipse fuit.

Bacchumque, & nymphas, quarum ille liquentibus undis
 Restinxit patrio corpus ab igne rubens,
 Alcidenque loci genium: quo praeside Tybur
 Antiquis certat nunc quoque deliciis.
 Plura his admisce, sed non nisi digna relatu,
 Ut Farnesinae tecta superba domus,
 Quae Romanarum tam gloria prima domorum est,
 Quam dominus sacri gloria prima chori.
 Omnia quae quamuis cura instaurata recenti
 Spem faciant longos vincere posse dies:
 Euitare tamen fatorum incerta nequirent,
 Ferrum, ignes, ventos, chasmata, diluua.
 Idem praefixus nisi vitæ terminus illis,
 Qui caelo & terris, per tua scripta foret.
 O felix vatum labor! & qui vicia perire
 Non sinit, & vitæ mortua restituit.
 Tuque adeo vates magnorum maxime vatum,
 Singula non tantum corpora qui reparas:
 Sed redimis totas Orci de faucibus vrbes,
 Et vitæ donas prosperiore frui.
 Maeste ista virtute heros & debita tantis
 Praemia si meritis, sors inimica neget.
 At tu perge tamen: quid enim praestantius illa
 Quam cum das aliis, das simul ipse tibi?
 Scilicet aeterna ventura in secula fama,
 Per quam victa tibi mors det auara manus.

IN GERMANI AVDEBERTI,
CL. V. EQVITIS TORQVATI
ROMAM.

PETRVS ANGELIVS BARGÆVS.

Moenia qui primus Romæ circundedit vrbi,
Sacrauisse patri dicitur illa suo.
Scilicet instabili, nec certa sede manenti,
Dum sese huc illuc versat agitque Deo.
Primum igitur gentes sumptis vrbs contudit armis,
Mox colla externo subdidit acta iugo:
Et vidit miseræ misere sedata ruinas,
Atque æquata humili tecta superba solo.
Ut quæ cunctarum fuerat pulcherrima rerum,
Iam foret in toto turpius Orbe nihil.
Verum AVDEBERTVS culto quam carmine Vates
Aonio rediens ex Helicone canit,
Sacrauit Musis: quarum immutabile numen
Cui semel affuerit tempus in omne fauet.
Iccirco fidei, & tutelæ credita tantæ
Stabit jam seclis innumerabilibus.
Hostili non illa manu, non illa tumultu
Casura, alternas nec subitura vices:
Florebit semper nitida rediuiua iuuenta,
Grata hominum generi, grata futura Deis.
Hoc decus AVDEBERTE tuum est: hæc gloria solum
Te sequitur: laus hæc conuenit vsque tibi.
Conuenietque magis proles cum sera nepotum

*Inscriptum in longa posteritate leget.
Quam fera Barbaries armis euerterat, urbem
Exciit hic numeris, restituitque suis.*

ANDR. GVIONII CARMEN
IN CL.V GERMA AVDEBERTI.
Romam.

Atibus hæc magnis olim si cura fuisset,
Arces Romulidum Augusto dominante superbas,
Et spoliis mundi cumulatam insigniter urbem
Pieris celebrare modis, Graiùmque labores
Artificum, ductos vario de marmore vultus,
Clarâque nobilibus dudum Capitolia signis:
Et si barbarico flagrauit sæpe tumultu
Roma potens, eadem nunc tot superesset ab annis:
Et rediuiua suos orbi jactaret honores.
Nec metuisset edax æuum, perfusa lacertos
Cedrino Musarum oleo: sed quàm graue damnum est,
Ignotas operum moles, decus artis auitæ,
Pressa latere solo Geticique sepulta ruinis,
Nullâque ibi veteris cerni vestigia formæ.
Non satius fuit hæc Italos memorare Poëtas,
Quàm cineres Trojæ, aut Libya surgentia regnâ
Primus inaccessos audax insistere calles,
Audeberte, nouam simili fato eripis urbem:
Quæquæ manent illic prisca monumenta decoris,
Postera-ve ingeniiu felicitibus addidit ætas,

*Cuncta tuo veras species in carmine seruant.
 Roma suas miratur opes, miratur alumnos,
 Nec rapidos metuit seclis labentibus ignes
 Condita sic: nempe vt Gallo qua milite quondam
 Occubuit, Gallo melius nunc vate resurgat.*

DE ROMA GERMANI AVDEBERTI


AB EO POST CELEBRATAS VENE-
 tias edita.

ANIANVS DECONTIYS. CLEMENDERIYS.

Stantia si magna vidisset moenia Roma
 Quanta sub imperio consulibusque fuit,
 Vt Veneta vidit spirantia penè trophæa
 Urbis, & expositas aduena gratas opes:
 Non ita sudasset vates tuus, & tibi prisca
 Integer imperij, Roma maneret honos.
 At quanto est majus, longa carieque, sitûque
 Obductis cultus restituisse suos:
 Quàm clara incolumes urbis cecinisse triumphos,
 Et saluum illæsis restituisse decus.
 Hoc maior vati debetur gratia, cuius
 Semisepulta prius nunc ope Roma nites:
 Sicque nites, vt damna tibi sint nulla timenda
 Amplius, hic stabilis fors & amica tibi.
 Cæmentum hoc lymphis tinctum Permessidos vnda
 Firmius à longo tempore robur habet.
 Vos verò ó ciues scalpro quos teresa recenti

*Purior irradiat lumine Roma nouo.
 Quid non speretis? vos Gallia perdere quondam
 Ausa ferox pœnas sub iuga missa dedit:
 Nunc subit hostiles animos concordia fœlix
 (Sic sese impediunt, expediuntque vices)
 Collapsam reparat Gallus, modò, perdere Gallus
 Quam stantem fretus viribus ausus erat.
 Et reparat largo cum fœnore, tu quoque Roma
 Munere pro tanto si pudor ullus inest,
 Cùm nequeat pretio pensari, grata fatere
 Esse supra vires munus opè que tuas.*

* DE ROMA GERMA. AVDEBER-
 TI. GL. V. VECTIGALIVM INDI-
 ctionúmque apud Aurelios Iudi-
 cis Primarij.


*M prius informi trabe structa, lutoq; recocto
 Vrbs staret, solis Roma superba viris,
 Hanc Pario Augustus splendidem marmore
 Sic ratus æternum nomen opú que fore: (fecit
 Laus tamen hæc cecidit crebris collapsa ruinis
 Præter spem auctoris spésque labórque ruit.
 Sed quàm diuino cantasti carmine, Roma
 Temporis & dentem spernit, & inuidie.
 Non opus vnius. Musa, tua Roma, sororum
 Affluit vatem tota caterua suum.
 Vidit, & indoluit siccata[m] fontis equini
 Phœbus aquam: socias increpuitque Deas:*

Vsque

Vsq̄ue adeon' faciles Gallo indulfisse poëta
Vatibus ut reliquis nil superesset aqua?
Tanto operi (Musæ excipiunt) & talibus ausis
Vix exhausta fuit Pegasis vnda satis.

Io. Affelincio Doctore Medico auctore.

VATICINIA DE ROMA C. V.
Germa. Audeberti.

Moenia vter Diuūm Romana conderet vrbis
Lura triumphato qua latè imponeret orbi
Armis leta suis, & crebris fœta trophæis,
Certabant Mars inde ferox, hinc mitis Apollo.
Cynthius armigero frustra contendere Marti
Dum timer, en, dixit, statuât modò Romulus arces
Iste tuas, genti imperium tribuâtque togata
Ad maris extremi, & longè spatia vltima terræ,
Mole sua tandem res vt Romana fatiscat,
Hoc sit Martis opus, ruiturum Marte sub ipso.
Siue illas turre, siue hæc capitolia celsa
Diruat infractis Gallorum exercitus armis,
Seu mala Romanos perdat discordia ciues
Ambitio, luxûsque & amor sceleratus habendi,
Ingeniosa gula, & vulgo non trita voluptas:
Labentis donec superet tantum arca Romæ.
Vnicus hanc vates Gallus generosa propago,
Castalidum mammis altus, non lacte lupino

G

*Eternam faciet meus Audebertus, & illam,
 Illam inquam Romam ferituram vertice cælum,
 Mox cælo æquandam de cæno ad sidera tollet,
 Rarum opus, atque humeris par vnus Audeberti.*

*Vrbis erunt Charites, dictatricisque Camæna
 Et bibit Aonios non Tybridis incola fontes:*

*In medio montes assurgent Pimpla, Cytheron,
 Virgineusque Helicon, septem pro collibus vrbis
 Parnassusque biceps caput inter nubila condet,
 Pieris & circum laurique hederæq; virescent.*

*Perdere non illam poterit Jouis ira, nec ignes,
 Nec furia, nec Mars, nec quod rapit omnia tempus.*

Quippe illa æternis numeris compacta manebit

Æternum: hos numeros quænam discordia frangat?

Phæbus ait, sua nec Phæbum cortina fefellit.

RAYMONDO MASSACO Doctore
 Medico, Auctore.

AD C. V. GERMA. AVDEBERTVM
 de instaurata ab ipso Roma.

L*egibus insignis, studiisque asperrima belli,
 Floruit excelso vertice Roma vetus.
 Sed cristas posuit nutans, ubi moribus æquas
 Sustinuit leges contemnerare malis:
 Armæque dum patrio furiata, heu, mente cruore
 Tingeret, occubuit viribus ipsa suis.*

Clara tamen veteris seruans vestigia formæ
 Durat adhuc casus mole superba sui.
 Ecquis erit Romæ reparet qui damna labantis
 Ni, Germane, nouus forte redemptor ades?
 Magnum condis opus: Latio sine puluere muros
 Instauras, arces, mœnia, templa, domos.
 Marmor àque ingenij specimen prodentia prisca
 Arte tua poliens splendidiora facis.
 Amphion blanda lapides testudine mouit,
 Sicque noua Thebas muniit arte suas.
 Ast hoc majus opus constructam sistere Romam
 Quod tua transmissis Alpibus ausa chelys.
 Cernimus hanc læti, simul & monumenta ruinis
 Æterna è vastis, quæ struis ipse tibi.

CL. Mallardo Doctore Medico, Auctore.

AD DOCTISSIMUM ET INTEGRUM
 Germanum Audebertum Aurelium de
 libro quo post alterum de Venetiis urbem
 Romam celebrat.

DVm celebras Venetum regnatricem aquoris urbem,
 Dulciàque in salsas carmina fundis aquas:
 Letitia exultat superi gens humida ponti:
 Nereides festis assiliere choris.
 Dum veterem celebras Romano carmine Romam,

Et purgas longo saxa vetusta situ.
 Quo motu septem credas applaudere montes?
 Applaudit Nayas quo Tyberina tibi?
 Ipse pater Tybris sistit, studioque videndi,
 Rursus eo versis ipse recurrit aquis.
 Vt tuus inuideat Ligeris: Genabòque relicta,
 Hesperias tecum malit inire vias.
 Quinetiam Gallo quondam perculsa tumultu,
 Nunc per te nobis officiosa fauet.
 Nam quæ erepta sibi est, Galli quondam agmine Brenni,
 Nunc per te Gallum reddita Roma sibi est.

IONATA PARVO Auctore.

DE EADEM ROMA NICOLAI
 AVDEBERTI FILII, VIRI CLA-
 rissimi & Regij Consiliarij in Se-
 natu Armorico manu
 descripta.

DVM lego felicem cantantia carmina Romam,
 Flla patris, nati carmina scripta manu:
 Qualia Parnassi sacra per iuga cantat Apollo:
 Scripta manu fuerat qualis Apelle tua:
 Maiorem ne putare velim pictore poetam?
 Laudetúrne magis filius anne pater?
 Alterum amant oculi, doctis placet auribus alter:
 Arbitrio indulget, sensus utérque suo.
 Hæreo, & ex oculo mea mens commigrat in aurem:

*Inque oculum mea mens rursus ab aure venit.
 Fœlicem nato quis non putet esse parentem?
 Nec verò est fœlix ille parente minus.
 Nec manus hæc aliud meruit describere: & isthæc
 Carmina non alia digna fuere manu.*

IONATA PARVO Auctore.

NICOLAI AVDEBERTI AVRELI

IN SVPREMA ARMORICVM CVRIA

Senatoris, in parentis sui
 Romam.



*Visere qui Latium properas, Romamque viator,
 Hic latium, hic Roma est: hic, age siste pedem.
 Antiquum in Latio Latium latet, ipsa ruinis
 Roma vetus nunc est penè sepulta suis.
 Ut Latij, & Romæ vix nunc vestigia restent,
 Tam leuis antiqui corporis Umbra manet.
 Hic vero Latium vetus & rediuvina resurgit
 Instaurans vires Roma vieta suas.
 Hic tibi Roma recens, anima inspirata recenti
 Vivit: uti Phœnix, morte renata sua.
 Tras alpina etenim quæ nunc quasi mortua, vivens
 Facta cis alpina est Roma parentis ope.
 Cur igitur pergas transcendere sedulus Alpes
 Canentes rigida perpetuaque nive,
 Cum liber hic Thusco Romam veteremque, novamque,*

G ij

Ceu magnus, è Tyberi traxerit ad Ligerim?
Parce tuis damnis, & inani parce labori.

Quò properas? extra quod petis, intus habes.

Hic Vaticanæ sacrata palatia surgunt,

Hic septem colles, templa, theatra, domus.

Hic circi, hic odea, Theatraque, & Amphitheatra,

Luxu etiam superis inuidiosa suo.

Hic molem inspicias Adriani insigne sepulchrum,

Et capitolini saxa vetusta iugi.

Trajani ingentes, Antoninique columnas,

Et laticum longas ex Anicene vias.

Totque operum moles, immania Mausolea,

Totque artes varias, artificumque manus.

Ecce triumphales arcus, en strata viarum,

Sudantes metas, atque trophæa Ducum.

Aërias & Pyramides, vastosque Colossos

Pulsantes summo vertice regna Iouis.

Mille quoque inuenias spirantia marmora calo,

Plenæque Apelleis atria imaginibus.

Nec procul vrbe etiam videas regalia tecta,

Hippolyti Estensis, tecta habitanda Ioui.

Iuxtaque Herculei mirandos Tyburis hortos,

Et Polycletea signa polita manu.

Fontesque innumeros, & aues ex ære, canoras:

At subito visa quæ reticent pupa.

Iridis è varios aduerso sole colores,

Tritonisque tubas, & speculi speciem.

Est & fons, tonitru simulat qui fulmina belli,

Multiplici horrendos ore vomente sonos.

Est quoque qui resonantibus murmure lymphæ
 Instrumenta refert musica dulce melos.
 Hic gelidas Anienis aquas cum Tybride cernes
 Currere: & Ausonium diuidere amne solum.
 Multaque præterea, quæ vix includere versu
 Musa sinit: numeris hic tamen apta suis.
 Roma vetus videntur ut Tyberi contermina, nunc se
 Translatæ ad Ligerim non putet esse parem?
 Plura etenim quam quæ spectentur in urbe Quirini,
 Hac vina in tabula Gallica Roma refert.
 Scis Romæ à Latia quid distet Gallica Roma?
 Plus habet hæc vitæ, plus habet illa vitæ.

F I N I S.



